

Rota Genue, decis. 56. num. 6., & in eo, qui debet petere investituram bonorum emphiteuticorum infra annum, & mensem, & non petiit ex aliqua causa, saltem colorata, non sibi præjudicat, *tex. in l. sciendum 21. C. de Usur.*, *Ottobon. decis. 103. num. 11.*, & *Cerro decis. 669. num. 8.*

16 Excusationes autem plures, in casu nostro, possunt debitorem tueri; Primò si dicat, & ostendat; quod per se non sterit, quin solveret debitum; Secundò proponendo exceptionem, vel moratoriam, vel peremptoriam; Tertio quod sit in præparatione; Quartò si habeat justam causam provocandi ad iudicium; Quintò justa debiti ignorantia, quia negligentia minimè imputari potest, nisi adfit scientia illius, quod agere debet, *Rot. decis. 921. sub. nu. 3. p. 1. tom. 1. Recent.*, ubi reddit rationem, quia nesciens æquiparatur impotenti *l. in actione vers. planè ff. de furt.*, *glos. in c. quia diversitatem in V. notitia de concess. Præb.*; Sextò si ex parte creditoris, non sit legitimata persona, & alias &c., quas enumerat *Gratian. d. c. 42. à num. 15.*, & *seqq.*, & *c. 400. num. 11.*, plures autem excusationes notat *Baverius de mora p. 3.*, ubi plures causas excusantes per modum limitationum affert, ut ratione loci, ratione personarum, partium, Judicis, ratione temporis &c.

17 Limita sextò; si mora brevissima sit, post lapsum temporis, arbitrio prudentis, quia parum pro nihilo reputatur *l. debitoribus ff. de re jud. l. si debitori ff. de Judic.*, *Gratian. discept. for. c. 26. num. 19.*, *Farinac. quest. 75. num. 16.*, *Gratios. de citat. p. 1. c. 6. num. 56.*, *Cagnol. in l. 14. num. 1. ff. de reg. Jur.*, Hinc etiam est, quod mora celeri satisfactione pur-

gatur, *Leoncil. decis. Ferrariae 85. num. 12.*, ita, & negligentia.

18 Limita septimò; pendente conditione, aut dilatione facta per creditorem, debitor salvatur ab incurfu negligentia. *Gratian. discept. for. c. 400. num. 14.*, *Cerro decis. 706. num. 4.*

19 Limita octavò; per appellationem legitimam, appellanti salvari à negligentia, dummodò appellatio non esset frivola, & frustratoria, quia tunc non excusat à negligentia, *c. brevi de Ju. Jur.*, ibique *glos. c. cum parati de appellat.*, quia remedium appellationis, non debet tendere ad defensionem iniquitatis, ut notat *Innoc. in eo c. brevi.*

20 Limita nonò: si debitum sit aliqua ex parte illiquidum; idèd emphiteuta non incurrit moram in solutione canonis, si quantitas sit illiquida. *Afflict. decis. Neapol. 205. n. 2.*, *Borell. summa decis. tit. de emphiteusi n. 211.*

An autem post incurfam negligentiam, ea sit purgabilis; respondit *Rota in Romana nominationis coram Pirovano decis. 213. num. 19. tom. 2. p. 5. recent.*, quod re integra, negligentia purgabilis est, secus, ubi res non est integra, sed Jus alteri quæsitum, quia tunc non est purgabilis. *Rota coram Corrado in Bononien. fideicommissi de Rubeis decis. 363. num. 8.*, & *seqq. part. 10. recent.*, ubi quod, si ob non servatam formam, Jus est alteri quæsitum, non potest subsequenter forma suppleri. *Spada consil. 276. num. 27. 28. 29.*, sed latius in proprio articulo infra.

21 Limita decimò; in debitore non solvente, eo quod Creditor petat plus debito, quia tunc habet justam causam. *Rota coram Cerro inter ejus impressas decis. 177. n. 3.*

ARTICULUS III.

An ad incurrendam Negligentiam requiratur scientia facti, vel Juris, vel potius eorum ignorantia tollat negligentiam, & ejus effectus.



Theologi prò certo habent, ad negligentiam culpabilem, prærequiri scientiam, quia cum voluntas non feratur, nisi in præcognitum, & omis-

sio culpabilis sit actus voluntatis, sequitur, debere præcedere cognitionem ejus, quod omittitur de quo videatur, *Aversa post D. Thom. in p. 2. q. 6. sec. 5.*

2 At non levis quæstio est apud Juristas, an igno-

an ignorantia, excuset à negligentia, nam aliqui dixerunt non excusare, sed solum præbere causam sufficientem petendi, & obtinendi restitutionem in integrum. *Tiraquell. de retract. tit. 1. verbo ignorans §. 35. glos. 4.*, *Alex. conf. 71.*, & *178. lib. 1.*; alique relati per *Marescot variar. resol. lib. 2. c. 67. n. 38.*, verum ipse n. 39. post Rotam ibi allegatam tenet excusari à cursu temporis, & à præscriptione, quoties ignorantia sit probabilis, *ubi num. 40.* plures ad id allegat. Quapropter præscriptio statutaria, fundata in negligentia creditoris, non præjudicat creditori ignoranti, veluti hæredi, ad tradita per *Pigant ad Statutum Ferrariae lib. 2. rub. 128. n. 44.*

3 Materia præsentis articuli, non levis est momenti, tum quia generalis est ad omnia, quæ de Negligentia dici possunt; Tum quia supra vidimus, quo ad incurrendam negligentiam, requiritur, quod non impediatur ad ea operandum, quæ debet; ignorans verò dicitur impeditus erroris, seu ignorantia impedimento.

4 Præmitto, quod ignorantia multiplex est, alia quæ dicitur crassa, & lupina, & affectata, & consistit in ignorare id, quod omnes sciunt, & scire tenentur, & poterant hanc ignorantiam tollere, sed affectatè, idèd voluntariè, seu ex consultò noluerunt eam tollere. *Socin reg. 176. in 1. salentia. Barbosa in reg. præsumitur ignorantia n. 6. de reg. Jur. in 6.*

5 Alia est ignorantia excusabilis, & invincibilis; alia verò è contra, idèd inexcusabilis, & vincibilis; esse autem vincibilem, non in genere, sed in individuo consideratur, quia quæ est vincibilis respectu unius, potest esse invincibilis respectu alterius, & dicitur invincibilis, quoties in eo, nullum omninò præcessit principium dubitandi de eo, de quo ignorat; quia nullo dubitandi principio posito, non tenetur inquirere.

6 Verum quidem est, quod in foro externo multoties, aut non præsumitur ignorare, aut ignorantia non præsumitur invincibilis, in foro autem conscientia, relicta juris præsumptione, naturalis veritas attenditur.

7 Ideo apud Juristas semper dicitur, quod ad hoc, ut ignorantia profit, hæc debet esse justa, & probabilis, de qua distinctione loquitur. *Bald. in l. final colum. 13. vers. sed juxta hoc quæro de qua ignorantia C. de præscript. longi temporis*, & licet regulariter ignorantia Juris censetur inexcusabilis *reg. ignorantia facti*, non juris

excusat *de reg. Jur. in 6.*, tamen etià in aliquibus casibus excusat, ut quando habet admixtam ignorantiam facti, vel de aliqua extravaganti non inserta in corpore Juris, vel de Jure obscuro, difficili, arduo, vel in rustico, muliere, milite, pupillo, minori, de quibus an semper excusentur, videndi sunt, *Farinac. frag. criminal. p. 2. Vers. Ignorantia n. 273. Tusc. V. ignorantia concl. 13.*, ignorantia tamen facti regulariter excusat *d. reg. ignorantia*.

8 Hinc solent quærere D.D., quando nam ignorantia in facto proprio sit tollerabilis, justa, & probabilis, vel è contra, quia videtur unusquisque scire, aut teneri scire factum proprium *l. quamquam ff. ad Vallejan. c. ab excommunicato de rescript.*, *Socin. reg. 219.*, *Mascard. de probat. concl. 637. nu. 3.*; *Barbosa de axiomat. Jur. axiom. 113. n. 2.*, dixi, (aut scire tenetur) quia paria sunt in jure, scire, aut scire debere, *glos. in c. scienti de reg. Jur. in 6.*, per *tex. in l. 1. in §. si intelligatur ff. de edic. edict. Cagnol. in l. nemo plus 188. n. 2. ff. de reg. Jur.*, & tamen si agatur de facto, quod à multo tempore præcessit, vel de facto obscuro, & implicito, & involuto ambagibus, aut cum alijs similibus circumstantijs, tunc ignorantia erit justa, tolerabilis, & probabilis, ut docet *Bartol. in l. si quis delegaverit ff. de novat. in fine*, & *in l. non fatetur col. penult.*, & *in l. cum fideicommissum ff. de confessi.*, ad latè comulata per *Farinac. in fragment. crim. p. 2. in V. ignorantia sub n. 209.* Ubi quatuor fallentia usque ad n. 215., *Barbosa in reg. ignorantia facti nu. 20. reg. Jur. in 6.*

9 Sicuti quando agitur de damno vitando, ignorantia in facto proprio censetur tolerabilis, ubi verò agitur de lucro captando, censetur intolerabilis, & improbabilis. *Bartol. ead. l. non fatetur*, *Bald. in consil. in causa nobilium 100. in p. vol.*, & post eos *Balbus in l. Celsus sub nu. 35. ff. de usucap.*

10 Ubi quod justa, tolerabilis, & probabilis est ignorantia, quando quis est ductus persuasione adversarij ex traditis per *Bartol.*, *Panormit.*, *Aretin.*, & *Jason. ibi per Balbum allegatos per tex. cum gloss. in l. Quæsitum ff. quando de pecul. actio annalis est.*

11 Differt etiam ignorantia, ab errore, quia ignorantia de sui natura non ponit aliquem cognitionis actum, error verò ponit aliquem cognitionis actum, quem subsequitur iudicium perversum, ut post *D. Thom. in 4. sent. dist. 3. art. 1. Theologi, ex Canonistis autem Azon. C. de Juris*, & facti ignorantia n. 1. & 2., *Archid. in c.*

in quibus 22. q. 2., Albericus in l. error nu. 1. C. de Jur., & facti ignoran., Farinac. fragm. criminal. p. 2. V. i. norantia n. 89.

12 Difficultas autem in presententi est de ignorantia, non autem de errore. Quæsto ergo satisfaciendo

13 Dico primò quod negligentia absque scientia non incurritur, Coccim. decis. 1899. num. 14.

14 Dico secundò quod non justa, nec probabilis, nec invincibilis, non excusat à negligentia, quia tunc ignorans habetur pro sciente Lap. alleg. 51. circa finem n. 17. vers. ad tertium, quia ignorantem non excusat, Gail. lib. 2. observat. 48. n. 18., Jo: Bapt: Costa tract. de facti scientia, & ignorantia inspect. 81. nu. 9., ad allegata per Barbof. in reg. ignorantia facti n. 11. 12. de reg. Jur. in 6., ubi ex adnotatis n. 5. & 19. potest reddi ratio; quia ignorantia crassa, & affectata ac injusta, non est causa negligentia, sed effectus; eò quia negligens inquirere, quæ scire tenetur, & de quibus, aliqualem saltem confusam habet notitiam, aut dubitationem, voluntariè perseverat in sua culpabili, & vincibili ignorantia; cum ergo tamquam effectus sequatur negligentia, non potest ab ea jam incurfa excusare, nisi nova subsequeretur negligentia, quæ esset effectus præcedentis ignorantia, cum non repugnet ad negligentiam, novam negligentiam subsequi, ex quo abyssus abyssum invocat.

15 Hinc Episcopus ignorans vacationem Beneficij suæ Diæcesis, dum residet in Diæcesi, non excusatur à negligentia, quia cum debeat visitare Diæcesim, nec justè, nec probabiliter præsumi potest ignorare talem vacationem, idè post cursum sex mensium, ejus Beneficij collatio devolvitur.

16 Idè ignorantia crassa, & supina, non excusat c. 1. de postul. prælat., c. cum in tua, qui matrim. acuf. poss., l. nec supina ff. de juris, & facti ignorantia, Gabriel. de reg. Jur. conclus. 6. n. 43., Costa de facti, & scientia ignorantia inspect. 81. n. 16.

Tanto magis, quia habens ignorantiam crassam, & affectatam, cum potuisset eam tollere, & nolverit, debet sibi imputare, quia etiam impeditus, dicitur negligens, si potuit impedimentum tollere, & non curavit c. finali, ibiq; glos. in V. currit de elect., Baverius de mora p. 1. n. 15., sicuti impedito non currit tempus, si potuit impedimentum tol-

lere, & non curavit c. bis quibus de elect., Barbosa in c. quam sit de elect. in 6. nu. 8., & facit reg. qui potest facere, ubi Cagnol. num. 3. de reg. Jur.

17 Hinc sequitur, quod ignorantia juris regulariter non sit justa, ad reg. ignorantia facti: 13. de reg. Jur. in 6., regulariter non excusat à negligentia, tantò minùs excusat ignorantia juris naturalis, quæ nec minorem, nec mulierem, nec rusticum excusat. Farinac. præct. crim. quest. 98. num. 49., & allegatè per Barbofam in reg. præsumitur ignorantia num. 11. de reg. Jur. in 6.

18 Dico tertio quod ignorantia justa, & probabilis excusat a negligentia Jo: Bapt: Costa tract. de facti scientia, & ignorantia inspect. 85. num. 15. Hinc est, quod hi, qui succedunt in locum alterius, justam habentes ignorantia causam, ad l. qui in alterius 42. ff. de reg. Jur., & reg. cum quis de reg. Jur. in 6., excusantur à negligentia, vel succedant universaliter, vel singulariter: glos. in d. c. cum quis, & post d. glos. Cagnol. in d. l. qui in alterius num. 1. in fine ff. de reg. Jur.; Et qui tractant de damno vitando, cum præsumantur ignorasse, & in eis justa præsumatur ignorantia, ut ex præcitata reg. qui in alterius Cagnol. nu. 12. ff. de reg. Jur., Farinac. in fragm. crim. p. 2. V. ignorantia num. 233., isti à negligentia propter talem ignorantiam excusantur.

19 Fallit in Episcopis, & Prælati, qui ita tenentur super gregem sibi creditum invigilare, ut ignorantia, etiam facti, tamquam inexcusabilis, eos non excuset à culpa negligentia, ad tradita per Jo: Bapt: Costam in suo tract. sciebat, aut ignorab., nihil refert reg. 21., quod fusius dicam in articulo de negligentia Episcoporum parte 2. hujus tractatus.

20 Fallit secundò in Patrono beneficij vacantis existente in loco, in quo notoria est vacatio, qui si non presentet, in tempore sibi à Jure concessio, non potest ab hac negligentia excusari ex capite ignorata vacationis, quæ cum sit notoria, ignorantiam Patroni reddit inverisimilem, & injustam; e contra verò, si vacatio non esset notoria, ut si contingerit, per privationem ex Judicis sententia, secutam nec publicatam, nec notam, tunc ignorantia erit justa, & probabilis Lyp. allegat. 79. num. 9. Vers. sed negligens. Tuscus in V. Negligens concl. 31. num. 9.

ARTICULUS IV.

An, & quando ad inducendam negligentiam requiratur interpellatio, ubi in obligatione est apposta dies certa.

I Via esse in negligentia formali, & esse in mora idem sunt, vel prorsus parificantur. Felin. post Jo: And. in c. 2. nu. 4. Vers. extra glos. de Magistris, idè quæram, quando requiratur interpellatio, ad constituendum in mora. Et regula est quod interpellatio non requiritur, ubi apposta est dies certa obligationi, quare elapsa die præstituta, absque temporis intervallo, debitor, qui non præstitit, quæ debebat, dicitur negligens ex reg. quod dies interpellat pro homine c. fin. de loc., & conduc., l. magnam C. de contrb. & commi. stipul., l. 2. C. de Jure emphit., Bald. in Auth. hoc amplius num. 16. C. de fideicom., Bertazol de clausul. instr. claus. 4. glos. 11. num. 1., Ubert de citat. c. 6. num. 58. Farinac. repert. judicial. quest. 75. num. 3. 7., Antonel de tempore legali lib. 4. c. 3. num. 19., ubi n. 21. ex Guadino, & Ciriaco notat, quod obligatus solvere in Paschate, vel Natali, sufficit, si solvat per totam octavam subsequenter, quia tota octava venit sub festo Paschatis, vel Nativitatis, Rota coram Bichio decis. 142. num. 36. post Merlin de pignor., & hyp., ita ut efficacior sit interpellatio, quæ ex lapsu diei apposti insurgit, quam alio modo facta. Gabriel lib. 3. tit. de solut. conclus. 9. n. 2., quia etiam debitor ignorans constituitur in mora. Jason. in l. si ex legati num. 12. ff. de verb. oblig., & quia dies statim constituit in mora, quia debitor potuit se præparare, non sic interpellatio hominis.

2 Sequitur ex reg. posita, quod qui antè quartum decimum ætatis annum obtinuit beneficium, cum obligatione emittendi professionem fidei, statim ac pervenerit ad 14. annum, ut constituatur negligens, non requiritur interpellatio, quia dies certa ætatis suæ, computanda à die natiuitatis, interpellat pro homine, & constituit in mora. Paris de resignat. benef. lib. 3. quest. 2. num. 23.

3 Sequitur secundò, quod Clericus in sa-

cris ordinibus non constitutus, qui obtinuit beneficium Parochiale, vel aliud, propter quod teneatur se promoveri facere ad sacros ordines infra annum, alias ipso Jure privatus existat beneficium, ad incurramdam negligentiam, & pœnam negligentia, nempe privationem beneficij, nulla requiritur interpellatio, quia dies certa, nempe annus computandus à die certa captæ possessionis talis beneficij, & ultima dies elapsa illius anni, sic computati, constituunt beneficiatum in mora, & pœnam negligentia ipso Jure incurrit. Paris de resignat. benef. lib. 3. quest. 2. nu. 22. requiritur tamen declaratio.

4 Amplia etiam si dies non fuerit expresse apposta à contrahentibus; tacite tamen ex natura rei insit, ut si promitto dare factum Vacæ, intelligitur, cum natus fuerit, sicque dies qua nascitur, subintelligitur, & natura inest. Alberic. in l. magnam num. 2. C. de contrab., & commi. stipul., per textum in l. interdum ff. de verb. obligat. l. si stipulatus ff. de verb. obligat., Barbofa de axiomat. Jur. axioma. 71., sive talis dies per legem subintelligitur, l. 1. §. & actio. C. de rei Uxor act., & l. 2. C. de Jure emphit., Antonel. d. num. 9. Gabriel lib. 3. de solut. concl. 9. num. 7., & est casus in c. licet canon ad finem de elect. in 6. ibi, quod si infra id tempus (supple infra annum) promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, sit presentis constitutionis auctoritate privatus, ubi tex. subintelligit diem complementem annum, quo elapso, negligens privatur beneficio, Baverius tract. de mora p. 2. num. 1. 2., & quod tamen limitabitur infra die certa tacita legali.

5 Immo antè adventum diei certæ, & determinatæ, appositæ, in obligatione, potest quis constitui in mora, absque ulla interpellatione, quando scilicet erat obligatus aliquod munus, seu opus facere, quod multum temporis requirit, puta ædificium, & tantum tempus sit elapsum, ut intra spatium